

gantem colorem rubicundum: Quodsi autem inditur spiritus salis Ammoniaci vinoso, in momento saturatus color cœruleas pulcherrimus excitatur, qui brevi tempore transit in purpureum.

6. Solutio Mercurii sublimati ab oleo Tartari per deliquium, induit colorem aurantium: a spiritu salis Ammoniaci lacteum: Color uterque statim perit, affusa debita quantitate spiritus vitrioli, & mixturæ limpeditas pristina restituitur.

7. Oleum vitrioli cum oleo caryophyllorum mixtum in momento producit massam rubicundissimam.

8. Olei vitrioli albissimi unciaë duæ unica guttula olei rubicundissimo colore imbui possunt.

9. Atramentorum sympatheticorum varia genera monstrantur.

10. Curiosum est, si vitra colorata variis modis combinentur, quod tunc sistatur alius color: ita si cœruleum vitrum cum flavo unias, excitatur color violaceus &c.

11. Corpora alba propter intensam radiorum reflexionem difficilius accenduntur quam nigra, utut humiditate imbuta sint: item inphiolis vitreis, nigro colore obductis, quæ ad Thermometrum usurpantur, si soli exponantur, liquor longe celerius descendit, quam si phiola fuerit albo colore imbuta. Mentio hoc loco etiam est facienda, quare fructus citius maturitatem suam acquirant in hortis, si parietes fuerint nigri, quam si albi.

12. Talcum nigrum igni candefactum auri colorem acquirit.

#### DEMONSTRATIO XL.

Sonus est tremulus aeris motus, qui in corporibus duris & fornicatis mirifice auge-  
tur & propagatur.

Expe-